

Leben des Abtes Franz Hertenstein von Ettenheim-Münster.

213

nostro subrogandum haud cerneremus, salutis animarum nostrarum et necessitati monasterii nostri prospicere cupientes, ad aliud de iure concessum nobis remedium de consilio rr. pp. vicarii generalis et abbatum congregationis nostrae conversi, per maiora statuimus et decrevimus, omni meliori forma, tam de iure, quam de facto ad hunc actum necessaria, per via compromissi, nobis et saepedicto monasterio nostro consulere et re ipsa compromittere, prout de facto pro hic et nunc actualiter compromittimus et compromissum volumus in reverendissimum et illustrissimum p. Pium, abbatem monasterii s. Galli, tenore praesentium expresse constantes, nos eum, quem praefatus reverendissimus ac illustrissimus p. Pius, abbas monasterii s. Galli ac monasterio nostro d. Eltonis in abbatem cum timore domini de conventu ac gremio suo elegerit, designaverit ac transmiserit, pro abbate quoque nostro pro nunc et in futurum absque omni contradictione, tergiversatione acceptaturos ac pro tali habituros et agnituros eidemque omnem observantiam, reverentiam, honorem et obedientiam iuxta sanctiss. patris nostri Benedicti regulam exhibituros, eiusdem confirmationem apud serenissimum archiducem, ordinarium nostrum, effective procuraturos esse: rogantes insuper instantissime, ut assignato nobis, ut sic abbati, simul et priorem, similiter omni obedientia et honore a nobis suscipiendum et tenendum adiungere et transmittere dignetur. Omnia sumptibus nostris, sine monasterii s. Galli gravamine. Actum in monasterio nostro d. Eltonis et s. Landelini, congregationis Benedictinae Argentinensis, die 4. Junii anno supra millesimum sexcentisimum quinquagesimo tertio.

(l. s.) P. Arbogastus, administrator; p. Amandus; p. Constantinus; p. Hidulphus Sartorius; p. Etto Mayr\*.

Ego, Franciscus Müller, civis Wilensis, sacra apostolica et imperiali potestate notarius iuratus, praesentem copiam propria manu descripsi, cum suo originali contuli et per omnia concordare reperi. In rei fidem propria manu subscripsi, signoque meo consulto munivi in curia monasterii s. Galli die 18. Junii anno 1653, ad hoc specialiter requisitus.

Franciscus Müller, utriusque potestatis notarius iuratus. m. p.

Original in dem Ettenheim-Münster'schen Briefbuche Nr. 7 (Copiebuch Nr. 329\*).

36. Schreiben des Straßburgischen Generalvicars Georg Alban Mayer und des Abtes Thomas Melzege von Altorf an den Fürst-Abt Pius

\* Diese Conventualen hießen: Arbogast Arnold, Amand Niedmiller, Constantin St., Hidulph Sartori, Etto Mayer, sie bildeten damals den Convent Ettenheim-Münster.

Necher in St. Gallen, d. d. Molsheim, 7. Junii 1653.

Reverend. et ill. princeps ac domine domine gratiose. Gratosae precibusque nostris inclinatae r. cels. vestrae voluntati, ad submitendum quempiam patrem ex suo conventu in monasterio divorum Eltonis et Landelini, episcopatus hujus Argentinensis, abbatem creandum gratias agimus humiles ac debitas habentes. Insuper ad colloquendum aut solide informandum super conditione et statu dicti monasterii vocati aut invitati nos infra scripti cum rev. admodum patribus, decano Saggallensi et oeconomio Ebringensi, ipso praefixo vespere dici tertiae mensis huius in loco comparuimus. Ubi quaestionibus ill. cels. vestrae nomine propositis ad singula ita respondimus ac talem dedimus informationem, ut speremus indubitate non modo praesentibus et audientibus satisfactum esse, spemque boni effectus et profectus illos concepisse, sed etiam cum relationem fecerint, nil obstitutum amplius ut rev. cels. vestra pro s. ordinis incremento, monasteriique nostri restauratione, conservatione et omnimoda possibili felicitate concilianda, nobis ad subministrandum et abbatem et priorem plenarie annuat. Hoc ad obtinendum quandoquidem etiam inter alia quatuor potissimum puncta exposuerunt, petentes nos responsa nostra desuper pro maiori totius negotii firmitate et certitudine etiam scriptis nominibusque nostris consignare: 1) Difficultatem hic non movendo, hisce ipsis ad primum contestamur, quod secundum varias rationes discussas cuidam patri Saggallensi proposita administratio ad tempus pro experimento committenda atque ut is ad libitum revocari possit e re et utilitate monasterii non futurum, sed expedire arbitremur, ut abbas realiter investiendus praeficiatur confidentes sapientissimo cels. vestrae sui que conventus iudicio talem nobis mittendum, quem ipsimet iudicant, quod nobis sufficit, aptum esse, et monasterium hocce regere scire. 2) Ad secundum nec nos nec conventus Eltonianus ullam quaestionem novit, quo minus solemnior quaedam postulationis forma per viam compromissi expediatur: quam idcirco, ut petebatur absolutam rr. admodum pp. commissarii iam iam utique exhibuerunt. 3) Pro tertio etsi usus ille apud officium meum vicarii generalis vel in consilio ecclesiastico hactenus non sit, sed experientiam habeamus, qua non rogato prius serenissimo archiducis, domini nostri clementissimi ordinarii, consensu ad postulationis non minus, quam electionis actus processeramus, quando ipsum postmodum de hoc certiore reddidimus, confirmationem debite ac humillime exorantes, is sine nulla